

ius per spectam prius atque exploratam naturam habet, certa que sit, illud sibi esse conveniens. Hoc autem ut præstet, accuratum intellectus iudicium accedat oportet. Nam Voluntas ingeniosè confertur cum regina cæca, quæ imperium quidem tenet, sed cognoscit nihil. Quapropter intimum sibi adjunxit consiliarium, intellectum putà, cuius munus est, ut cognoscat & iudicet, an aliqua res sit bona, an mala, an conveniens, an disconveniens, an jucunda, an minus jucunda.

§. 19. Qualis autem cognitio intellectus requiratur, ut voluntas moveatur, an sufficiat simplex apprehensio, an verò requiratur etiam iudicium compositionis, quod explicatur his aut similibus verbis: bonum est hoc facere, &c. an quoque præter hæc accedere debeat iudicium practicum, si ve interna locutio imperativa: fac hoc, Auctores certarunt, certant & adhuc sub iudice lis est. Interim quid faciendum sit docent Dd. nostri laudatissimi B. Stalius disp. phil. 10. reg. 2. §. 13. *Nimirum ad aliquot actus voluntatis sufficere simplicem apprehensionem, esse tamen nonnullos ad quos necessarium sit iudicium compositionis.*

§. 20. Quod autem omnino fieri nequeat, ut voluntas in rem aliquam moveatur, cognitione intellectus non præcedente, id secum ipsismet se experiri, quicumq; volunt, fatebuntur. Et fanè si voluntas suâ naturâ ferri posset in incognitum, sequeretur, quod quovis tempore, & quacunq; occasione pro voluntate ita operari possemus, quod, quàm contra fanio rem rationem sit, ostendit prolixè Gabriel Vazquez l. 2. t. 1. disp. 35. c. 2. & 3. Dicis: Voluntas non raro desiderat scire incognita. E. appetit incognita. Resp. cum D. August. de Trin. l. 10. c. 1. aliud esse appetere scientiam incognitorum, aliud appetere ipsa incognita. Qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed rō scire amat. Scientiam autem illam jucundam & bonam esse, non ignoratur.

Dd 3

§. 21.